

B. M. II, 289.
h. 561.

II R
206

Panegyricum
DE IVRIS ET LEG-
V M LAVDIBVS,

In honorem

Quinq; Virorum genere & virtute, jurium co-
gnitione, & experiētiâ præstantissimorum

L. CASPARIS IVNGERMANI Lipsiensis.

L. GABRIELIS TINCELII Halensis.

L. FRIDERICI GEORGII

L. SIGISMUNDI FINCKELTHAVS } Lipsiensium.

L. FRIDERICI SCIPIONIS

Cum IVRIS VTRIVSQUE DOCTORES
renunciatione publicâ crearentur atq; inaugurarentur,

In celeberrimâ Academiâ, quæ est

L I P S I Æ,

III. Calend. M. Aprilis,

Anno Natali ejusd. Acad. & Seculari secundo

MD, DC, IX.

Scriptum à

IOACHIMO TANCKIO P. Ph. & Med.

Doct. & Profefs. publ.

impressum

Per MICHAELEM LANTZEN-

BERGERVM.





De

IURIS ET LEGVM LAUDIBUS.

DUm suaves spirant Zephyri, vernansq; Favoni
Aura polum boreum jucundâ luce serenat,
Spicum illustre micans in corpore Virginis ortu
Scandit ab occiduo rutili per sidera cœli:
Ver geniale redit, dubiâ quo morte sepulta
Evocat ad superas radijs solaribus auras
Singula, vitâ animatq; suâ Natura fidelis.
Quærit avis thalami consortem, plorat Itynq;
Infelix volucris, saturataq; Concha madenti
Rore tumet, pueris vitæ quærentibus annos
Coccyx prædicit Vates: Genitalia poscit
Semina terra, pluit fœcundis imbribus æther,
Pingit flore novo, varijsq; coloribus agros
Atq; imis venis generat Physis ipsa metallum.
Ecce Astræa suis comitata sororibus alto
Descendit cœlo, Paulinaq; templa subintrat,
Sancto templa Deo, Musisq; dicata canoris,

A 2

Sacra

Sacra Sacerdotes Themidis dum mystica tractant,
Et claris pietate Viris, gravitateq; digna,
Decernunt meritos doctrina premia honores,
Quinq; Viris, gemini quos sancta scientia juris,
Nobilis & virtus sublimia ad aethera vexit.
His mecum gratare sacris operata juventus,
Atq; Schola proceres nostrae, prudensq; Senatus,
Et qui venisti peregrinis hospes ab oris.
Tu modo Calliope faciles in carmine vires
Suffice, sacrati juris, legumq; canenti
Laudes, egregiosq; viros, studiumq; virorum.

Cuncta fluunt à fonte boni, qui Trinus & Unus
Est Deus, irradians illustri lumine Numen
Omnia, vastum opus hoc & majestate gubernans:
Hic animo primus leges insculpsit Adami,
Hic malè servatam primum tulit unus Adamo
Legem, ne vetitos decerperet arbore fructus:
Legibus hic vinxit mundum, conjunxit Adamo
Evam, jura dedit thalami, quin aethere Caeli
Regem constituit, Reginamq; addidit, atq;
Innumeram positâ parentem lege cohortem,
Hi statione manent, dubio nec fine vagantur.

Exemplare datum hinc homini, mundoq; natanti
Aëre in instabili, ut majori viveret aequè

Parvus

Parvus homo mundus conformis, criminis expertus,
Sed malè descivit flectens à tramite recto,
Secum alios in perniciem, tristemq; ruinam
Pertraxit, rerum facies mutata subinde
Indè fuit, daret ut pejorem postera prolem,
Ætas, & lolium ferrent pro frugibus arva.

Legiferos inter Moses hinc primus Olympo
Sanxit jura decem digitis descripta Iehovæ
In populo sibi commisso, & sublime Tribunal
Judicis instituit, causas qui legibus æquis
Dirimeret, fontes puniret, labe carentes
Defensor tutaretur, vel vindice dextrâ.

Interea cætus hominum Rectore carentum,
Mentibus exciderat primi cùm dogma parentis,
Exegit vitam in Sylvis, inter deserta ferarum
Lustra, modum vitæ, nec juris fœdera curans.
Indè Giganteum genus, affectasse quod ajunt
Cœlicolum sedem, congestis montibus altis
Dum conjurati cœlum conscendere fratres
Tentârunt, superis inferre & prælia Divis:
Harpyiæq; truces, & dira propago Cyclopum
Divûm contemtrix, humano & sanguine rivens.
Invenies nostro seculo, qua mergitur undis
Titan immani populos feritate notatos,

Excurret Mercator ubi ad Garamantas & Indos.

At quibus è cælo melioris mentis origo,
Erexere aciem vultus è pulvere cæni
Mirati superas sphaeras septemplex orbis,
Mirati & Lunæ cursus, Solisq; labores:
Unde hominum genus, & pecudes, quid semina terris
Evocet, & faciat tenui propagine vites:
Quàm det apis miranda oculis spectacula rerum!
Vere novo, quando cælum Sol luce reclusit,
Pulsâ hyeme, æstivâ, sylvas, saltusq; peragant,
Distribuant operas, consortia tecta domorum,
Pars ponit, pars in medium quaesita reponit,
Ventura memores hyemis, pars septa domorum,
Intra agit, educunt fœtus, mittuntvè colonos,
Effinguntvè favos, vel mella tenacia figunt,
Ad portas alijs cecidit custodia sorti,
Quæ cælum observant, fures præsepibus arcent,
Aut onera accipiunt venientium, pars foris omni
Invigilant operi, flores & flumina libant.
Magnanimum observant Regem, stipantq; volantē,
Et patriam omnes, atq; suos novère penates:
Cunctis lex una est, communi & jure fruuntur.
Hæc multos movère, DEVM certò esse putarent,
Qui regat hunc mundum, res humanasq; gubernet,
Fuisse-

Fusserit & dubiâ cœlum non lege moveri.
Hinc homines passim non certâ lege vagantes
Elicuere gravi suadâ nemoralibus antris.
Amphion primus Thebana conditor urbis
Legibus armavit populum in statione manentem,
Post plebem citharâ vocalis Thracius Orpheus
Moribus excoluit melioribus, atq; coëgit
Legibus agrestes devinctos vivere certis.
Hinc & latores legum statuere Poeta
Colloquio admissos diuûm, decreta supremi
Promulgasse Jovis populo, legemq; dedisse.
Scita ferens legum Creta Gortynius Heros
Inventum esse Jovis persuasit gentibus almi.
Sacra Therapneus Sparta dans jussa Lycurgus,
Latona matris retulit mandata tulisse.
Cecropiusq; Solon tribuit sacra jura Minerva.
Quid justum pietate Numam, qui sceptrâ secundus
Ausonia tenuit referam? qui nocte silente
Vsus consilio Ageria pia jura, piasq;
Aras extruxit Iano, & sacra templa dicavit,
Hinc erga leges crevit reverentia major
Romulidum exemplo, simul incrementa tulerunt
Qui regni Domini ut fierent mox urbis & orbis:
Vnde fidem illorum laudat sacra pagina verbi.

Gracia

Gracia latores legum, Romanaq; plures
Aula tulit: non hoc te carmine SCÆVOLA dicam,
Monte PAPINIANE, TREBATI, PAVLLE
& HERENNI,

Stabit vester honos, dum jura Theatra sonabunt.
Defuit at vobis fons legum limpidus, hortis
Qui Paradisiacis pleno fluit amne, recludit
Quem Moses IHOVÆ divina oracula pandens,
Quæ CHRISTVM monstrant, quâ par sit vivere
Justicia Solem, solum auctoremq; salutis. (lege,

Postquam lux verbi cœpit clarescere mundo,
Et Rex justiciæ innotescere CHRISTVS olympo
Missus, legibus ô quantus splendor venit! ortum
Ducere jura Polo jam certum erat, atq; peritos
Legum, non Themidos Mystas, sed, sacra Iehova,
Esse Sacerdotes, qui curent atq; ministrent;
Exercere DEI munus qui Iudicis altum
Ascendit solium, & lites componere tentat.
Ceu stellas alias radianti lumine vincit
Hesperus occiduo post solem à cardine surgens:
Sic legum Mystæ muniti lumine verbi
Præcellunt alijs, quos secla priora tulerunt.

TRIBONIVS primus reliquos hic anteit omnes.
Qui sociorum operâ numerosa volumina Iuris
Disposuit

Disposuit libris succinctis, ordineq; arcto
Digestis, magni IVSTJANI jussa capefcens
Endoperatoris Romani. Hoc postera fama
Regium opus dignis haud tollet laudibus unquam.

Hæc lux Romanas primùm diffusa per oras
Gentibus illuxit alijs post: prodit ab ortu
Ceu Phœbe primùm dum sensim sparsit in orbem
Per terras omnes lumen: Sic Gallia primùm
Exceptit radios, demum Germania lumen
Sensit, & incepit fatis melioribus uti.

Hæc fax indè alias terra manavit ad oras,
Vt pulsis tenebris nunc plenâ luce fruantur.

EVNOMIA ô salve, virtus pulcerrima salve,,
Tu claris totum reple fulgoribus orbem,,
Tu populos urbesq; regis, tu regna gubernas,,
Sacros tutaris ritus, coetusq; docentum,,
Defendis, soli tibi templa scholæq; quietem,,
Debent, cum pietate tibi pax basia figit,,
Fers strictum dextrâ gladium, lancemq; sinistrâ,,
Æquali trutinas librâ omnia, & ense rescindis,,
Crimen & omne malum, tanquam immedicabile vul-,
Immani cohibes sævos feritate Cyclopes, (nus,
Eduxti sylvis homines sine lege vagantes,
Et deterfisti fædo fera secula victu.

B

Constituis

Constituis Reges, & firmas robore regna
Invicto, condisq; urbes atq; extruis arces.
Aestas fida comes Ducibus, magnisq; Dynastis,
Sive colant pacem, seu Martia bella sequantur.
Inde magistratum sancis, sanctumq; Senatum,
Lege salutari firmas solium atq; Tribunal
Judicis, es miseris portus tutissimus, omnes
Te fugiunt fures, latrones, pessima turba.
Cuiq; suum tribuis jus, pulsa injuria cedit,
Sevas componis lites, & jurgia tollis,
Erigis oppressum sceleratâ fraude clientem.
Res stabilis privas & justis legibus ornas,
Exornas thalamos, viduos consorte tueris,
Illicitam Venerem punis, violataq; jura.
Agros limitibus distinguis, totius heres
Avis fit, reus in solidum sua debita solvit.
Servas pacta fidemq; ex aequo contrahis, arctè
Quæ contracta ligas, vincis & pectora amore,
Hospes tutus ab hoste manet, securus ubiq;
Seu domi agas, seu sis peregrinis hospes in oris,
Te colit, observat te virtutum chorus omnis.
Omnia te pulsâ turbantur, & exulat orbe
Ipsa Salus, sine te nequit hic consistere mundus.
EVNOMIA ô salve, virtus pulcerrima salve.

His

His sedem terris ô Diva tuere manentem.

Hoc tibi quodcumq; est stirpis memoranda columna
Saxonica, Caesar **LOTHARI**, ô qui Deus alter,
Acceptum ferimus, merito & celebramus honore,
Faustis **IRNERII** auspicijs, & numine dextro.
Hinc sonuere fori, sonuere Theatra Lycæi,
Leges, ut dubites an sint Germanidos oris
Nata, aut illata, videas cum pondere scripta
Tum numero certare Italis, & vincere utrinq;.

Floruit **Ausonius** antiquo tempore terris (**AZO**,
GVARNERVS primus, sequiturq; **ACCURSIVS**,
BARTOLVS hinc, **BALDVVS**q; **ANDREAS**,
clarus **JASON**,

IMMOLACUM SPECVLA, & qui à **CA-**
STRIS, **ALCIATVS**q;

Atq; alij, quos longa mora est nunc dicere versu.

Prætereoq; illos, quos **GALLVS**, quos & **IBERVVS**
Protulit, **Ausonia** tanquam ipsos urbe oriundos.

His non ingenio aut studio Germania cedit,
Si **ZASIVM** spectes **OLDENDORPVM**q;
ZVVICHEMVM,

SPIEGELIVMq; **LAGVM**, **SCHURFVM**, **CIS-**
NERVM, **EVHARDVM**,

SCHRADERVM, **DAMHVDERVM**, **GRASSVM**q;
SIHARDVM, B 2 Hen-

lis

HEUNINGVMQ; GODEN (mihiauito sanguine
junctum,

Leucoris arx cujus busti monumenta reseruat)

ZOBELUM, KÖNIG, MAUSERUM, FACHSQ;
RENHARDVM,

OENOTOMVM, GAIL, MYNSGERVM,
BEUSTVMQ;, THOMINGVM;

PISTORES, BORCHOLT, TEUBERUM, cum
VVESEBECO,

Dando facem juri, reliquis qui lampada tradit,

COLERUM, MOLLERUM, alios fama q; celebres

Juris thesauros, Germanæ & lampadas ora,

Inter Romanos, & Gallos, inter Iberos

Ingenio, vigili studio, methodo q; docendi.

Salve præ reliquis populis GERMANIA salve.

O tutare DEI verbum ipsis fontibus haustum,

O tutare sacras leges, munimina gentis,

Sic eris invicta, & nullâ tibi parte nocebit

Turcus, Papa, fremat sive efferus orbis & orcus.

Et vos salvetote viri decora alta Lycei,

Gymnasi nostri clarissima lumina, Mystæ

Astræ, sanctum quibus acris cura recursat

Pandere jus animo, legumq; volumina, tetrum

Ne ipsa situm metuant, priscum servare nitorem,

Sarta

Sarta ad venturos post mittere tecta nepotes,

Qui olim vestra secuti avido vestigia gressu,

Accrescant legum firmissima fulcra futuri.

VIRTHIUS hos inter PROCANCELLARI-

Clarus consiliis, antistes suspiciendus (us extat,

Juris, cui jus est cathedra, qui digna laborum

Confert premia, venturum mansura per ævum.

Ad vos Calliope convertit lumina visus,

Quinq; viri, generis splendore parentibus orti

Claris, non cupidi tantum inclarescere avitâ

Famâ, tesqua juvat majoribus in via adire.

LIPSIAE Astræa hac vobis hæc festa paravit

Luce, quibus meritos dignis decernit honores,

DOCTORES legum, jurisq; utriusq; salutat,

Premia virtutis dans, justa brabea laborum.

Accipitote viri, factisq; extendite nomen,

Gloria sic feriet sublimi vertice cælum,

Vestra, etas vestras & dicet postera laudes.

Accesti optatum felici sidere portum (magni,

IUNGEMANE nepos CAMERARI non male

Qui nostri leges & sancta statuta Lycei

Extulit è tenebris donans sermone latino:

Gloria nostra Scholæ dum surgent sidera olympo:

Urbs tibi, si hoc genitos ignoras, Norica dicet

Consilia illorum novit quoq; Saxonis aula.
Amulus es patris, sinuosa volumina juris
Dum voluis studio indefesso nocte dieq;
Amulus es virtutis avi, ne Lipsidos Vrbe
Nominis intereat materni gloria, fidus
Causarum patronus opem fac sentiat insons,
Consilia Eunomia ut tua nobis effluit olim.

Non minus es GABRIEL HALÆ patria de-
cus ampla,

TINCELI, jus omne tenes qui pectore parvo;
Quod Digesta velint, magno quid Codice legum
Insit, quid Latio regno, Grajovè quid æquum.
Sessitat eloquio in teneris tibi Svada labellis,
Dum patronus agis causas benè Iudice coram.
O utinam Socer in vivis spectator honorum!
Ut TIMÆVS adest, vir Cancellarius aula
Cizensis, Themidis præclarus Mysta, Sacerdos
Inclitus Eunomia, Sophiæq; insignis alumnus.
Maçte Vir ingenio, & factis fer nomen ad astra.

Tu quoq; honorq; decusq; DICES, FRIDERI-
CE GEORGIES

Illustre: ingenio magnum, linguaq; disertum.
Te omnes suspiciunt, dignos largitur honores (ram
Dum tibi Diva THEMIS, capiti & festiva tia-
Pur-

Purpuream imponit, passorum infigne laborum.
Hæc ad te ducit, dextris jungitq; Puellam,
IUSTICIAM, quæ te tutore & vindice nullam
Tuta pudicitie maculam metuit, sed in orbe
Mansuram ponet sedem, omni labe carentem.
Salve ornamentum majorum, infigne minorum
Calcar, defuncto vita tibi fama manebit.

Te FINCKELTHUSI quoq; postera fama loquetur
Summum IUSTICIÆ Mystam, Sophiæq; Patronū.
Ingenium Natura tibi, geniumq; sagacem
Ipsa dedit, THEMIDIS quo tantum culmen adire,
Et penetrare potes sinuosa volumina legum.
Hinc quæ BALDVS habet nōsti, & quæ BARTO-
LV S autor,

Quid jus Saxonicum præscribat, quidvè Latinum.
Maçte animis legum vindex ô Iudice nate,
Consilia, ingeniumq; tuum mirabitur ætas,
Cum veneranda DICÆ solio te sistet in alto.

Salve dilectum THEMIDI caput ô FRIDERICE
SCIPIO, quæ temet per terras ducere vitam
Non sinit obscuram, famam patris æmulus augustam
Accumulas, claris titulis & honoribus auctus.
Altius endogradi sacri penetralia juris

Con-

206

Contendis, monstrante viam EVNOMIA, quod ES
Ipsa tibi dudum felici sidere spondet. (optas,

Maeste vir ingenio genioq, tuum infer ES astris
Nomen mansurum claris in LIPSIDOSORIS,
Donec SCIPADUM florebit gloria Roma.

Calliope attigimus portum, sed claudere votis
Par est hunc actum celebrem, finemq, laboris.

Quinq, viri insigni titulo Doctores aduerti
Deinceps exigit incolumes feliciter annos
Innumeros, Grajum superateq, Nestora seclis;
Optima fata DEVS tribuat, multosq, clientes,
IUSTICIAM fucis rabidis defendite salvam:
Sic accrescet honor vester nomenq, manebit,
Atq, polo dabitur vobis amplissima merces.

F I N I S.



107



